DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

APOPLEXIA.

12

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

APOPLEXIA,

EAQUE PRAECIPUE

QUAE SANGUINEA APPELLATUR;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Præfecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

Pro GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

ROBERTUS SCARLETT,

JAMAICENSIS,

Soc. Reg. Med. Edin. Praeſ. Ann.

Necnon

Soc. Nat. Stud. Edin. Praeſes.

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,XCV.

PHILIPPO ANGLIN SCARLETT,

ARMIGERO,

FRATRI SUO ET AMICO DILECTO,

HANC DISSERTATIONEM,

SUMMÆ PIETATIS ATQUE OBSERVANTIÆ

TESTIMONIUM,

OFFERT

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

APOPLEXIA,

EAQUE PRAECIPUE

QUAE SANGUINEA APPELLATUR.

PROŒMIUM.

MEDICINAM fere ſub generis ipſius humani primordia exſtitiſſe putandum eſt. Natura enimvero, provida ſolerſque, homini, utpote ſanctiori caeteris animalibus, non modo cupiditatem ingenuit, ſed etiam vires largita eſt, quibus multiplicia mala, ſuo proprio ordini

 imminentia,

imminentia, quadantenus amoliri atque arcere poſſet. Pariter ergo ad illa inquirenda impulſus fuit, unde tum urgentes morbos diſcuteret, tum inſtantibus occurreret, atque unde alia innata deſideria leniret expleretque. Et ideo, ut Celſus dixit, "Haec (medicina) nuſquam quidem "non eſt; ſiquidem imperitiſſimae gentes her-"bas aliaque prompta in auxilium vulnerum "morborumque noverunt."

Verum enimvero haec ipſa ars, etſi ubique gentium ab ultima antiquitate magis minuſve tractata, hodierno tamen die copiam dubitandi, quaerendi, explorandi, ultra citrave adeo immenſam dat, ut iis, qui hiſtoriam contextam illius ignorant, aut omnino intentata, aut nuper admodum inchoata eſſe videatur.

In hoc autem tranſcurſu tam arctati operis alienum eſt perſequi omnia ſingula, quae incrementis quam maxime optandis atque expeten-

dis

dis obſtiterint. Illud tantum in praeſentia dixiſſe ſufficiet, quod iſta videntur exorta fuiſſe haud magis ex artis ipſius natura, ejuſdemque multiplici commercio cum aliis neceſſario poſterius extuſis, quam ex natura mentis humanae, quippe cum haec plerumque malit praepropere ſuis figmentis, aliorumve ſententiis futilibus commenticiiſque temerè aſſentiri, quam veritatem, alta terra et caligine merſam, inquieta acerrima atque attentiſſima cogitatione perſcrutari atque educere.

Jam vero quam trunca et debilis medicina eſt, ſatis ſuperque conſtat ex medicorum monumentis, quae ratiocinationum adeo variarum et diſcrepantium ſcatent, ut hic jure nemini non legenti exclamare liceat, "Incertior ſum multo, "quam dudum: Quot homines, tot ſenten-"tiae!"

Compages quidem corporis humani eſt adeo multiplex

multiplex atque artificioſa, ut minime mirandum ſit, perpaululum adhuc de propriis ejus viribus legibuſque animadverſum eſſe ac notatum. Quin etiam, quod ſane dolendum eſt, hoc ipſum, quantulum id cunque eſt, obſcuritatis multum atque erroris habet, ſiquidem conjecturali duntaxat ratiocinio abſque experimentis innititur.

Neceſſe eſt igitur ſtudioſum, qui, veſtibulum modo artis hujus ingreſſus, omniumque id genus inexpertus, cogitur alios audire, tali tantaque eorum, qui de his diſputarunt, diſcordia animo confundi, utpote plane neſcientem quid ſequatur aut quem. Hinc fortaſſe fieri poteſt, ut ipſe quidem accingatur fortius propriis viribus quaerere verum. At vero qua tandem fiducia ſui, qua laeta ſpe futuri audeat deflectere, ſeu quid novi aut excogitare, aut in lucem proferre de iis, quae uſque adhuc curioſiſſimos atque ingenioſiſſimos fefellerunt effugeruntque?

Nudi

Nudi conatus, capti ſcilicet ſupra vires, quippe quod experientia, quae hic eſt omnium inſtar, deeſt, tantummodo efficient adauctum iſtius molis rudis indigeſtaeque, quae primum ſibi ipſi, dubitatione aeſtuanti, valde diſplicuerat. Denique nihil aliud reſtat, in quo elaborandum eſt, niſi rationes ſuperiorum excutere, ut velut rejectione facta demum ad aliquid perveniat, quod, ſi nihil exquiſiti aut novi habeat, certe tamen nihil omnino ſtultam credulitatem redolere videatur.

CAPUT I.

Quaedam de Apoplexia generaliter adnotata.

Etiamſi Apoplexia Sanguinea nobis eſt praecipuum argumentum, jam tamen quaedam de Apoplexia generaliter adnotare forſitan haud alienum erit.

Apoplexia,

Apoplexia, ut vox ipſa ſonat, olim valebat quodlibet repentinum ac ſubitum corporis vitium, quo ſenſus motuſque aut omnino intercidunt, aut quoddam ad tempus labefactantur. "Apoplexia dicta eſt, quod tanquam ex lethali percuſſu repentinum facit caſum. Eſt autem oppreſſio, ſaepe ſine febribus, repentina, et quae ſine febribus ſenſu privat corpus; ſemper celerrima et nunquam tarda eſſe probatur *."

Plerique autem antiqui medici hocce vocabulo cunctos morbos, ſive repente, ſive ſenſim invadentes, qui ſedem in cerebro habeant, appellaſſe videntur.

Hippocrates quidem ita nominat omnes nervorum reſolutiones, tum totius corporis, tum alicujus membri. Hinc memorat "Σκέλος ἀπό-"πληκτον," Crus attonitum; aitque, "Εν τοῖσι

σπασμοῖσιν

* Cael. Aurel. de Morb. Acut. Lib. III. C. 5.

" σπασμοϊσιν αναυδιη επι πολυ κακον. Το δε επι μικρον ἤτοι
" γλωσσης αποπληξιην, ἢ βραχιονος, και των επιδεξια σημαινει *.

Ex eo nimirum, quod hocce verbum tam late uſurpatur, exorta eſt ea magna confuſio, quam non ſolum apud antiquos, ſed recentiores quoque offendimus. Etenim uno ſub nomine narrantur morbi, qui, tametſi, ſicut alii, ex cerebro ac nervoſo genere affectis naſcantur, multum tamen, quod eſt, ſecundum ſuas quiſque cauſas, in ſignis variant; quique nunc rectius, ut par eſt, aliter aliterque audiunt.

Opiniones certe antiquorum de hujus morbi natura perquirere curioſum potius, quam utile dixeris. Hodie etiam, tot poſt praeclara reperta,

* " Loquendi impotentia in convulſionibus multum " perſeverans malo eſt. Quae vero parum durat, aut lin- " guae ſiderationem, aut brachii, aut eorum, quae in " dextra parte ſunt, denunciat." Hippocrat. Coac. Pronot.——p. 36 et 369.

ta, quis poteſt plane et perſpicue expedire viſa, quae nobis a cerebro ac nervoſo genere ſubinde objiciuntur? Nihil igitur eſt, quod hallucinationes veterum ſuper hac re magnopere miremur. Horum ſcilicet plerique opinati ſunt, apoplexiam fieri ex aliquo frigido craſſoque humore, qui cerebri ventriculos oppleverit obſtruxeritve. Haec quidem ratio, primum a Galeno propoſita (cujus ab auctoritate, ut Wepfer ait, piaculum duceretur vel latum unguem diſcedere) multa per ſecula ad Fernelii aetatem uſque invaluit, qui demum commentus eſt, iſtud malum naſci ex cerebri arteriis adeo oppreſſis obſtructiſve, ut cor ſuis ſolitis ſpiritibus, inde nimirum tranſmiſſis, privetur, itaque ſenſus motuſque intercidant *.

Sententia autem Hippocratis ipſius eſt longe dictu ſpecioſior: "quam equidem malo," Wepfer loquitur, "verbis Proſperi Martiani, quam "meis

* Kirkland, Comment. p. 12.

" meis explicare; quod eo lubentius facio, " quod ipſius magnus Hippocrates cum notatio- " nibus Romae, anno 1626, primum lucem " viderit, ſcilicet biennio ante editas exercita- " tiones de Motu Cordis et Sanguinis cl. Har- " vaei, quae primum anno 1628 Francofurti " excuſae fuerint. Ita enim ille in libro ſecun- " do de Morb. ad paragr. 64. p. 168. edit. Ro- " manae: *Apoplexiae tres invenio in Hippocra-* " *tis doctrina differentias, quarum etſi diverſae* " *ſint cauſae antecedentes, in eſſentia tamen conve-* " *niunt omnes, quae in ſanguinis ſtatione conſiſtit;* " *unde ſpirituum motus et actio omnis tollitur. Nam* " *(ut ipſe inferius ait) dum ſanguis non movetur,* " *fieri non poteſt, ut non etiam corpus quieſcat.* " Triplicem autem ob cauſam ſanguinis mo- " tum ſiſti ex Hippocrate dicit. Primum, cum " humores acres ſanguini in arteriis contento " admiſcentur, unde ſanguis concreſcit et ſiſti- " tur. Deinde, cum ob nimiam venarum re- " pletionem, ſeu interuptionem, ventilatio ejus

"prohibetur, unde ſanguis corrumpitur, ejus "ſpiritus ſuffocantur, iſque a motu ſuo ceſſat. "Haec apoplexiae ſpecies ſubito fit cum ſignis "plethorae. Denique ſanguis motu privatur "propter affluxum humorum frigidorum; at- "que hoc non direpente fit, neque omnes in "principio actiones abolentur, et, ſi ſanguis "pituitam ſuperet, evadunt, ſin minus, ſanguis "magis congelatur, et aegri moriuntur *."

Etiamſi in loco jam laudato mentio fit de ſanguinis motu per arterias venaſque, nemo certe, niſi nimium patiens, ne dicam ſtultus, veterum mirator, ex illo ſolo collegerit, circuitum hujus Hippocrati ſatis liquidò cognitum fuiſſe †.

Ac

---

* Wepfer. Exercit. de Loc. affect. in Apoplex. p. 151. 152. 153.

† Plurima ſanè antiquorum monumenta invidioſa vetuſtate perierunt; necnon etiam aliqua ſunt mutila et hiantia,

Ac de antiquis hactenus; nunc quam breviter dicendum eſt, quomodo recentiores huncce morbum agitarunt.

Apoplexia,

antia, atque ideo vix aut fortaſſe ne vix quidem ſine ulla dubitatione ſtatui et judicari poteſt, quid olim notum omnino ignotumve fuerit. In denſo velut chao nonnihil quidem lucis aliquando, ſed raro admodum, oboritur; verùm illud ipſum adeo maligne inter tot atras erroris nebulas micat, ut perdifficile ſit inde diſcernere quatenus par eſt inventa aliquot, quae recentioribus tribui plerumque ſolent, veteribus accepta referre. Quod autem ad ſanguinis circuitum pertinet, nonnulli profecto extant apud antiquos loci, qui paululum quiddam hac de re, obſcure vero admodum, ac quaſi per nebulam, ſignificare videantur. Quiſpiam fortaſſe antiquitatis nimius admirator, qui ſcilicet ei non " veniam ſolum ſed honorem quoque talem et " praemia poſcit," ſi haud aliter voto potiri queat, dixerit, antiquos propter vanas rationes de corporis humani actionibus, nec non ignorantiam commercii earundem cum ſanguinis circuitu, ab hoc ritè animadvertendo prohibitos fuiſſe; ideoque eundem tantummodo leviter in

tranſitu

Apoplexia, id quod inter omnes conſtat, videtur oriri ex aliquo cerebri affectu, unde ſuis propriis actionibus impar redditur. Indicia igitur, quae in hoc malo ſubſequantur, alia aliaque eſſe, prout cauſa moduſve agendi variant, neceſſe eſt. Hinc apud Cullenum eſt ipſum Genus,

---

tranſitu ſubinde attigiſſe, quotieſcunque nempe alia tractantes forte quadem offendiſſent. Erudit. Dutens complures ex Hippocrate, Platone, Ariſtotele, aliiſque longo intervallo locorum et temporum disjunctis, locos protulit, unde probare laborat, veteres non ſolum rem, ſed etiam quomodo ipſa ſit, ſatis comprehendiſſe †. Quicunque autem talia curioſius animadvertere volet, is auctorem adeat. Nunc enim ſufficiet unicum locum ex Platonis Timaeo ab eo laudatum recitaſſe. "Τὴν δὲ δὴ καρδίαν ἅμα "τῶν φλεβῶν, καὶ πηγὴν τοῦ περιφερομένου κατὰ πάντα τὰ μέλη "σφοδρῶς αἵματος."—Cor vero venarum originem, fontemque ſanguinis per omne corpus impetu quodam circumacti. Plato in Timaeo. Edit. Ficini, Lugd. 1590. p. 543.

† An Inquiry into the Origin of the Diſcoveries attributed to the Moderns, &c. Part III, c. 3.

nus, multaſque ſpecies ſecundum varias ſuas cauſas complectitur. Quam quidem diſpoſitionem, utpòte perſpicuitate praeſtantem, hic memorare juvat.

APOPLEXIA.

" Motus voluntarii fere omnes imminuti, " cum ſopore, plus minus profundo, ſuperſtite " motu cordis et arteriarum."

IDIOPATHICAE SPECIES.

1. " Apoplexia (*ſanguinea*) cum ſignis ple- " thorae univerſalis, et praecipue capitis."

2. " Apoplexia (*ſeroſa*) in corpore, plerum- " que ſenum, leucophlegmatico."

3. " Apoplexia (*hydrocephalica*) paulatim " adoriens; infantes et impuberes, primum laſ-

" ſitudine,

" ſitudine, febricula et dolore capitis; dein
" pulſu tardiore, pupillae dilatatione, et ſomno-
" lentia afficiens."

4. " Apoplexia (*atrabiliaria*) in corpore me-
" lancholico."

5. " Apoplexia (*traumatica*) a vi externa
" mechanica, capiti illata."

6. " Apoplexia (*venenata*) a potentiis ſedan-
" tibus interne vel externe adhibitis."

7. " Apoplexia (*mentalis*) a pathemate men-
" tis."

8. " Apoplexia (*cataleptica*) muſculis, ſub
" artuum a vi externa motu, contractilibus."

9. " Apoplexia (*ſuffocata*) a potentia exter-
" na ſuffocante."

Haecce diviſio, ut mihi quidem videtur, complectitur omnes ſingulas ſpecies apoplexiae primariae. Quiſpiam fortaſſe dubitaverit, an poſtrema ſpecies, ſeu apoplexia ſuffocata, jure annumeretur. Ipſe quidem cl. Cullen tradit,

quicquid

quicquid nervoſam vim a cerebro ad muſculos voluntarii motus euntem prohibeat; vel quicquid, ratione ſcilicet ſenſus affecti habita, curſui vis ejuſdem ab extremis nervorum ſentientibus obſtet, illud in univerſum pro apoplexiae cauſa proxima habendum eſſe. Atqui vero proprius eſt, ſuffocationem, qua vis vitalis aut prorſus omnino aboletur, aut quoddam ad tempus ſuperatur, non tam effici ex ulla injuria cerebro generive nervoſo illata, quam ex reſpiratione praecluſa. Certe quidem Monro, et ſubtiliter et copioſe de nervoſo genere diſſerens, experimentis probat, mortem animalibus ſuſpenſis, hac ipſa peragi *.

Caeterum

* "I cut a large hole in the trachea of a living dog. "I then ſuſpended him for three quarters of an hour, by "a rope fixed around his neck above that hole, without "killing him or depriving him either of ſenſe or motion. "But, when I afterwards ſuſpended him for a quarter of "an hour, by a rope fixed under that hole, he became in-"ſenſible, and did not recover." Nerv. Syſt. C. 1. S. 8.

Hoc

Caeterum Cullen hancce diviſionem generaliter comprehendit, ſiquidem apoplexiam tractat quaſi duplici cauſarum genere orientem, plethora nempe cerebri, unde compreſſio fiat, iiſque deinde rebus quae mobilitatem nervoſae vis protinus infringant auferantque.

Singulas autem ſpecies, ſub utroque genere comprehenſas, intempeſtivum eſt nunc perſequi, ideoque ſufficiet illud breviter notaſſe, quod, eodem auctore, ſanguinea et ſeroſa ad prius, praeterque cauſas ſupra memoratas frigus, concuſſus, atque electricitas ad poſterius pertinent.

Facta quoque eſt eadem diviſio, idque quam accommodiſſime, ut mea quidem fert opinio, a F. Zuliano, in ſuo commentario "de apoplexia "praeſertim nervea."

Illud

Hoc ipſum, eodem auctore, compluribus id genus experimentis deprehenſum fuit; eademque ratione, mea quidem ſententia, de ſubmerſis utendum eſt.

Illud denique forſitan accedere oportet, quod ea duntaxat eſt ſeroſa apoplexia, quae hydropico corporis habitu exoritur; neque enim iſtam, qua ſerum effundatur, quod quidem fieri poteſt, aut ex totius corporis plethora, aut ſanguinis in capite circuitu obſtructo, aut etiam impetu illius ad hoc idem adaucto, aliquid juvabit, vel rationis ergo, vel ipſius curationis, a ſanguinea diſtingui.

Tametſi diſtributio haec, plana per ſe ac ſimplex, avertit obſcuritatem adeo ab auctoribus adhibitam, ut idem vocabulum alias in aliam rem accommodari poſſe videatur; tamen nihilominus Kirkland haud ita pridem diverſam propoſuit, idque, me ſaltem judice, fruſtra ac ſine cauſa. Hic ſcilicet laborans rem ſimplicius explicatam dare, talem rationem inſtituit, quae illam magis involutam atque occultam praeſtitiſſe videatur. Submota etenim priore diviſione,

contendit apoplexiam nunquam non ex aliquo primario organico affectu nervoſae vis incidere.

Nunc autem fortaſſe haud ab re eſt aliquanto latius de tali ſententia dicere.

"By apoplexy," inquit ille, "we wiſh to be "underſtood to ſpeak of that diſorder, in which "the patient falls down ſuddenly, as if he were "thunderſtruck, into a profound ſleep, with "ſnoring and ſonorous reſpiration. He is deſ- "titute of motion except in the thorax and "heart; is inſenſible, and has a hard, full, diſ- "ordered pulſe, accompanied ſoon with a re- "laxed or dilated countenance, and a fluſhing "of the face. The apoplexy, then before us, "we conſider to be a diſeaſe, *ſui generis*, ariſ- "ing from an internal cauſe, becauſe it has pe- "culiar ſymptoms: It does not always origi- "nate in the head, as has been imagined, but "alſo in the viſcera of the thorax or abdomen,

"or

" or both together. It apparently happens, to " thoſe poſſeſſing morbid irritability, occa- " ſioned by ſome kind of affection in the brain " itſelf, or ſome other part of the brainular ſyſ- " tem*, which conſtitutes what we call an apo- " plectic diatheſis; and we have, for that rea- " ſon, named it the firſt species† of nervous " apoplexy, becauſe we have diſcovered that " plethora, extravaſations of blood, or red ſe- " rum, or the polypi we ſometimes find in diſ- " ſecting the brain, are not the cauſe of this, " but the cauſe or conſequence of other mala- " dies we ſhall hereafter ſpeak of, which re- " quire a different treatment. This I was led " to conceive, from ſeeing that turgid veins

" may

* Per *cerebroſum genus* intelligi vult auctor cerebrum et nervos. Vid. Comment. on Apoplectic and Paralytic Affect. Praef. p. 5. & 6.

† Apoplexia dividitur in duas ſpecies, quae ambae nervoſae audiunt. A priore eo duntaxat altera differt quod ſigna ſunt leviora. Vid. p. 40.

"may happen in the brain, and that extravaſat-
"ed blood or ſerum, in large quantities, may
"be lodged upon this ſubſtance, or betwixt its
"foldings, without producing the ſymptoms
"we have deſcribed *."

Auctor quidem deinceps pergit, cauſa nempe iſtas cogitationes confirmandi, paucos memorare caſus, in quibus, etſi, cerebro inciſo, ſanguis ſerumve deprehenſum fuit, tamen homines haud apoplexia ſignis ſupra comprehenſis comitata perierunt.

At vero pauci duntaxat caſus, parvaque argumenta inde excogitata, neutiquam valent, quod propoſitum eſt, efficere.

Jam ſatis conſtat, ſanguinem ſerumve poſſe in cerebro paulatim extundi, ibique aliquamdiu verſari, neque tamen apoplexiam efficere plenam; ſed hinc plane nequaquam ſequitur, ſanguinem, nimio

* Ibid. p. 15. 16. 17. & 18.

nimio ſcilicet impetu in caput ſubito delatum, non poſſe cerebrum, antehac ſanum, ita afficere, ut protinus apoplexiae ſigna, eaque quam aſperrima, ſubſequantur. Enimvero, tota cerebri fabrica admirabili perſpecta, cauſa hujuſmodi talem effectum poſſe facile praeſtare videtur. Multi certe caſus apoplexiae graviſſimae, ita exortae, a Morganio aliiſque referuntur, ubi nulla omnino ratio ſuadet, ut cerebroſum genus per ſe ipſum ad hocce vitium proclivius fuiſſe credamus. Fac vero cauſam ſupra dictam haud ſatis valere ad cunctas vehementioris apoplexiae, quam ipſe dixit eſſe nunquam non mortiferam *, notas exhibendum; indicia certe levioris inde naſci putandum eſt. Hujus vero memorat unum duntaxat caſum, quem quidem hic ipſius fere verbis, ut ſenſus omnino ſalvus ſit, breviare par eſt.

" A gentleman, about forty years of age, " whoſe manner of living, and habit of body, " would lead to a ſuſpicion that an apoplexy might

* Comment. p. 38.

" might attack him, was ſeized ſoon after a full " meal with ſickneſs and giddineſs; he fell " down, and a hard ſleep followed, but when " ſtirred to awaken him, he muttered and ſome- " times moved his limbs a little, though it was " evident he was delirious, but his face was " neither dilated nor relaxed, as is uſual with " thoſe ſeized with the vehement nervous apo- " plexy. His pulſe was 90 and full, but with- " out that irregularity ſo manifeſt in the vehe- " ment ſpecies.

' Ten ounces of blood were taken away and ' purgatives adminiſtered very freely; from ' which treatment the patient grew much bet- ' ter, and in three or four days was able to ' walk about; a ſleepineſs, however, remain- ' ing when his mind was not employed. In ' this convaleſcent ſtate, a bliſter was applied to ' his head, under the operation of which he ' became convulſed, and delirious: A ſecond

' was

'was employed, ſoon after which his counte-
'nance became relaxed and dilated, and he
'died in a few hours.'

Mors hujus aegri dicitur facta fuiſſe ex irritatione a veſicatoriis tum excitata, quando nimirum cerebroſum genus erat vitiatum: Sit ita ſane; neutiquam verò ſequitur, hanc vitioſitatem primitus adfuiſſe. Enimvero tempus, quo morbus incidit, notae ipſae exhibitae, necnon auxilium a purgantibus adlatum teſtari videntur, hanc fuiſſe veram apoplexiam ſanguineam; proximumque vero eſt, eandem, quippe quae ſtatim poſt cibum pleniorem occupavit, ortam fuiſſe ex diſtento ventriculo aortam deſcendentem praegravante, unde nimium ſanguinis ad caput verſum adactum fuit.

Denique, ratione Kirkland perpenſa, nequaquam temere atque imprudenter, meo ſaltem judicio, ſanguinea et ſeroſa apoplexia exiſtere dicuntur.

cuntur. Neque etiam acceſſerim ipſi opinanti, apoplexiam, de qua Cullenus aliique agunt, nihil aliud, niſi caron aut coma; haec etenim potius leviores illius ſpecies eſſe videantur.

Vulgari igitur diviſione in apoplexiam ſanguineam, ſeroſam, nerveamque ſervata, de prima in capite ſequente dicendum eſt.

CAP. II.

De ſignis Apoplexiae ſanguineae communibus, ejuſdemque Diagnoſi.

Hippocrates quidem ipſe, medicinae conditor, dixit, (id quod experientia uſque adhuc comprobavit) hunc morbum plerumque invadere homines aetate provectos, eoſque praecipue ultra quinquageſimum aut ſexageſimum annum.

Certis

Certis anni temporibus ſaepius incidit. Sub vernum ſcilicet atque autumnale aequinoctia, ubi viciſſitudines tempeſtatum ex frigore in calorem ac retro ſunt magnae ſubitaeque.

Interdum nulla fere ſigna, niſi forte capitis ſubitus acutuſque dolor, praecurrunt.

Tentationes autem hujuſmodi ſemper fere fiunt, quando circuitus ſanguinis, praecipue autem curſus ejuſdem ad caput verſus, immodica nimirum exercitatione, ira, inclinatione capitis, ebrioſitate, nimio externo calore, ſternutamento aut tuſſi frequente et magna, emeticis fortioribus, multa ſpiritûs in tubis inflandis, aut alvo deponenda, aut vociferando contentione, adaugeatur.

Homo ex improviſo concidit, ſenſu motuque voluntario privatus; ſopore, ſaepe ne acerrimis quidem ſtimulis cedente, ſepultus videtur; in-

terdum ex facili ſpirat, interdum ſtertit; arteriarum pulſus eſt plenus et validus; facies rubet; oculorum et temporum venae tument; caput ſummoperè calet; oculi ſemiaperti et veluti vitrei fermè rigent, haerent, prominentque; lingua turgeſcit et ex ore aperto ſpumae nonnunquam moventur; ſenſus motuſque ſaepe magis in uno quam altero latere imminuuntur, ſub quo caſu minus ita affectum interdum nervorum diſtentione vexatur. Morbo augeſcente, pulſus fit languidus, lentior, et rarior; reſpiratio paulatim minuitur; et cum validiſſima eſt apoplexia, ſubeunt ronchi graviſſimi, ſtridor dentium, convulſivi motus, tandem mors.

Etſi interdum nulla ferè ſigna praecedunt, attamen ſequentia frequentèr mali inſtantis ſunt.

Crebri capitis dolores et vertigo exercent; lucida, coloribus variantia, praeter oculos tranſcurrunt, et ſaepe viſus ipſe deficit; oculi inter-

dum

dum diſtorquentur, tunica albuginea rubet, lachrymaeque ſponte profluunt; aures tintinant, atque aliquantiſper obſurdeſcunt; tactus imminuitur; lingua titubat; mens tota quodammodo hebeſcit; ſomnus in promptu eſt, atque idem per ſomnia tumultuoſus; incubus infeſtat; aliquis perbrevis ſtupor in extremis partibus; torpor membrorum nunc hujus, nunc illius lateris; quaedam reſolutiones; aliquando frigus in quibuſdam partibus ſentitur. "At quibus inſtat terribilis hic morbus imprimis ſtomacho ſaepe laborant inteſtiniſque, et ſaepe de nauſea conqueruntur, de borborygmis deſidendique conatu, licet indigeſtionis abſuerint cauſae, aliûſque colluviei abſint indicia *."

Illud autem fere plerique omnes medicorum notarunt, quod morbus hic homines maximè corripit, quibus brevia ſunt colla, magna capita, habitus plenior, quique ſunt inexercitati, in acerrima

* Zulian. Comment. de Apop. C. 2. de Apop. Sang.

acerrima atque attentiſſima cogitatione verſati; cibo copioſo atque immodicis liquorum fortiorum potionibus aſſueti.

Idem quoque ſaepe excitatur a ſuppreſſis profluviis, veluti menſium, epiſtaxis, haemorrhoidum, ſanguinis ex inciſa vena, &c.

Satis quidem conſtat eorum pleraque homines huic malo opportuniores reddere, utpote quae corpus impleant.

Caetera vero de hoc genere, eaque haud minora, adeo ſunt multa et varia, "ut loquacem "delaſſare Fabium valeant."

Nunc igitur dicere ſat eſt, omnia eſſe hujuſmodi, quae vim ſanguinis in capitis arteriis auget, reditum per venas ad cor, tranſitum per pulmones, ſuperiorem venam cavam, aortam deſcendentem, &c. tardent prohibeantque.

Enimvero ſingula eorum, libero nimirum ſanguinis curſu impedito, nimium cerebro preſſum aut ex iniqua congeſtione in quibuſdam vaſis, aut effuſione, aut vi denique ipſius renixus inferre poſſint.

Etſi pervetus opinio eſt, eaque fere omnium medicorum, qui deinceps de hac re diſſeruerunt, firmata conſenſu, breve ſcilicet collum homines apoplexiae ſanguineae obnoxios reddere; at Kirkland tamen eam, quaſi vanam, quod eſt, neque ratione, neque experientia approbatam, inficias ivit.

At vero experientiam haud repugnare jure forſitan ex ipſa diuturnitate, qua ſtabilis permanſit, cogi poteſt; et quanquam nequit quidem confirmari iſta ratione, quae omnes apoplexiae ſpecies ad quoddam nervoſi generis vitium refert, veruntamen facile, meo ſaltem judicio, poteſt confirmari per illam, quae preſſum

in

in cerebrum verſantem, ex vaſculoſo nempe genere factum, inter cauſas hujus morbi comprehendit. Satis enimvero conſtat, quo minus ſpatii eſt inter caput et cor, eo majore vi ſanguinem neceſſario ab hoc ad illud deferri.

Talis quoque conformatio corporis poteſt impedire liberum ſanguinis reditum a capite, unde preſſus, ut ſupra dictum eſt, cerebro inferri queatur.

Hic autem praeceptum Fothergill mihi in mentem venit. Ipſe quidem homines talis formae hoc monet, nunquam diutius aliquid oculis cervice reflexa intueantur. Namque experimento probat, latera brevis tubuli, tortu nimirum dato, multo propius, quam longi, ſibi ipſis admoveri. Jugulares itaque venae, in iſtiuſmodi poſitu, minus aptae ſanguini provehendo fiant; quin etiam, ſi collum ſit perquam breve, omninò imperviae evadere queant. Periculum quoque,

quoque, eodem auctore, ex tali poſitu, eo fit majus, quod, cum reditus ſanguinis a capite impeditur, curſus hujus in Carotidibus manet pene idem; ſiquidem hae arteriae, utpote motus centro propiores, haud tortus tantum, ut venae, patiuntur.

Idem denique narrat caſum ſubitae apoplexiae, quae ex hujuſmodi tortu orta eſſe videatur *.

Jam illud porro difficilius dictu erit, quomodo aliae quaedam cauſae ſupra comprehenſae, ſtudium nempe, cura, atque animi anxietas homines huic malo opportuniores efficiant. Hic quidem memorantur, quia in medicorum monumentis exſtant, neutiquam quia in iis me certius aliquid adlaturum credo.

Poteſt enimvero fieri, ut aſſiduum et vehemens literarum ſtudium corpus quodammodo

impleat,

* Lond. Med. Obſerv. et Inq. vol. 6.

impleat, eo quod minus exercitationis adhibetur; aſt quomodo cura anxietaſve animi iſthuc ſpectent tendantque, nullus video.

Nimiam fortaſſe irritabilitatem inducunt, unde, corpore ipſo antea procliviore, cauſae, excitantes quas vocant, valentiores evadunt. Sed vis talium rerum ad ſummam certe eſt exiguae, atque iſtis potius, unde nervea apoplexia excitatur, anumerari debent.

Nunc vero ſignis et cauſis, quae modo dicta ſunt, rite animadverſis, apoplexiam ſanguineam ceteris fere omnibus malis dignoſcere haud perdifficile erit.

Nihil certe eſt negotii eam a Syncope, Paralyſi, atque Epilepſia diſtinguere. In prima enim facies pallet; ſpiritus fere omnino intercluditur; arteriarum pulſus ceſſat; atque extremae partes frigent. In altera ſenſus motuſque voluntarii nonnulli

nonnulli tantummodo imminuuntur. In tertia denique ſpiratio nihil interpellatur; muſculorum plerorumque voluntarii motus eſt convulſio; facies ſemper fere diſtorquetur, atque ex ore ſpumae moventur.

Caeterum difficile ſane eſt hanc ſemper ab iis, quae ſeroſa et nervea audiunt, diſcernere. Hujuſmodi autem in caſu non ſolum ſigna, quae adſint, ſed cauſas quoque, et remotas et excitantes, quae ante praeceſſerint, quam curioſiſſime aeſtimari neceſſe eſt.

CAP. III.

De venoſa cerebri plethora, tanquam Apoplexiae cauſa. Generalis ejus plethora, licet pro caſu frequentiore habita, nunquam re quidem vera fieri poteſt.

Et hactenus de notis cauſiſque apoplexiae ſanguineae. Licet jam dicere, has cauſas preſſum nimium cerebro inferre, utpote quae vel vaſa ejus nonnulla ſolito magis diſtendant, vel profluvium ex iiſdem faciant, vel etiam effuſionem ab exhalantibus adaugeant.

Opinio quidem apud ſummos auctores legitur, hoc malum a venoſa nempe cerebri plethora frequentiſſime proficiſci. Atqui haecce opinio, ut cl. Monro jure contendit, ex fabrica ipſius partis parum perſpecta nata eſſe videatur.

Hinc

Hinc nunc illam excutere convenit; ideoque pauca prius de capitis vaſis, curſuque ſanguinis in iiſdem dicenda ſunt.

Cerebrum certe eſt pars adeo perneceſſaria tum ad vitam, tum ad ſanitatem humanae compagis, ut natura, provida ſolerſque, ejus ſaluti per incredibilem fabricam quam optime conſuluiſſe videatur. Quod quidem ſatis conſtat ex ſanguinis copia ad id delati, ex arteriarum illum vehentium, venarumque eundem revehentium diſpoſitione.

Auctor, modo laudatus, oſtendit, numerum ſanguinis ad cerebrum delati aequare decimam duodecimamve portionem totius vis, quae per corpus circumagitur; quanquam cerebrum ipſum haud amplius quadrageſimam hujus partem pendeat. Ille autem ſic rem perſecutus eſt.

Duas internas carotides arteriaſque vertebrales

ſimilibus

ſimilibus cum ramulis, qui ab aorta emittuntur, quod ſcilicet ad modum pertinet, comparavit; atque ita coarguit eorum errorem, qui, prioribus nempe vaſis cum deſcendentis aortae trunco conſulte ac temerè collatis, numerum ſanguinis per caput circumacti multo majorem eo, qui ſupra memoratur, putarunt.

Jam vero ne cerebrum aliquid noxae accipiat, vel ex ſanguinis impetu, vel ex proprio ejuſdem numero per arterias aliquatenus obſtructas imminuto, apparet, quod hae arteriae multos poſt flexus introeunt caput; dividuntur in complures ramuſculos, qui alius in alium exeunt; nec non plus ſpatii continent, quam ipſi trunci unde exoriuntur.

Talem ſane conformationem non modo impetum ſanguinis inhibere, ſed etiam arcere injurias, quae ex vaſis nonnullis eum vehentibus, occluſis ſcilicet aliterve vitiatis, oriturae ſint, experimento,

experimento, alio quidem conſilio olim facto, deprehenſum fuit. Galenus enim, eos nimirum refellens, qui contendebant, vim cerebri omnino ex corde pendere, tradidit, ſe frequenter, idque ſine ulla noxa, carotidas animalium conſtrinxiſſe *. Quod quidem experimentum ſaepius ab aliis eodem exitu factum fuit; unde facile colligitur, cerebrum ſuam propriam ſanguinis portionem per arterias vertebrales accipere. Caeterum Galenus, utpote hujus rei neſcius, neutiquam cernere potuit, experimentum hujuſmodi nihil ad argumentum ſuum pertinuiſſe.

Eadem quoque cautio et proviſio ex venarum forma ac diſtributione, quae ſanguinem a capite revehunt, agnoſcitur.

Exiguae enimvero cerebri venae, in quibus ſanguis circuit, exeunt in ſinus a dura matre tectos, per quam propriaſque eorum tunicas oblique,

* Wepf. de loc. aff. in Apopl. p. 163.

lique, ac ſaepe contra illius motum in his permeant. Hinc plane periculum diruptionis praecavetur, cui parvae tenueſque cerebri venae patent, ſi forte quadam refuſio ſanguinis in jugularibus internis, quod eſt, in lateralibus ſinibus continuatis, accidat. Quam quidem ad rem illud certe pertinet, quod paululum modo humoris cujuſlibet, in ſinus injecti, exiguas cerebri cerebellique venas ingreditur.

Denique, vertebrales venae non ita magnae ſunt, atque ideo totus fere ſanguis, intra caput circumactus, per ſinus revertitur; qui quidem cum arteriis, quae ad cerebrum pertinent, collati, haud rata pro portione videntur majores truncis, itidem ſcilicet ſpectatis, quod eſt, ſuis cum arteriis collatis, venarum, quae ab aliis partibus, ut puta renibus, ſplene, &c. ſanguinem revehunt.

Poſtremo, illud memoratu dignum eſt, quod

hi

hi ipſi ſinus adeo cum calvariae oſſibus, dura matre, falce, et tentorio conjunguntur, ut neutiquam dilatari queant *.

Quae cum ita ſint, ipſa evidentia eorum opinioni repugnare videtur, qui exiſtimant, venoſa cerebri vaſa eſſe talia, quae motum ſanguinis retardent, eundemque in ſeſe congerant; unde, ut illis placet, ſi paululum aliquid remorae accidat, ſanguis ibidem citius congeri poſſit †.

Sed haec quidem, ex anatome petita, hactenus. Videamus nunc annon plura, eaque fortaſſe haud minora, illis, qui opinantur venoſam cerebri plethoram eſſe praecipuam apoplexiae cauſam, objici queant.

In confeſſio quidem eſt, venoſam plethoram fieri aetate provecta, quando apoplexia frequentiſſimè occupat; ſed et haud minus verum eſt, arterioſam

* Nerv. Syſt.

† Cullen, F. L. No. 1107.

arterioſam in juventa adeſſe. Quod cum ita ſit, ſi hoc malum ad plethoram tantummodo referatur, nulla habita ratione mutationis, quam cerebrum paritèr, ut ceterae firmiores partes, progrediente aetate paſſum eſt, unde magis obnoxium cauſis excitantibus evaſerit, profectò nullus video, quamobrem ſeniores ſepius, quam juniores, corripiantur.

Hoc autem eo magis valet, quia eadem ipſa, quae venoſae plethorae imputantur, quatenus ſaltem motus ſanguinis ſpectatur, poſſunt vel ex arterioſa progigni. Enimvero, utrum congeſtio ſanguinis in venis obſtiterit curſui in arterias, an, ea abſente, major numerus per has fuerit adactus, nihil omnino intereſt; ſiquidem eadem ſubſequentur, quod eſt, vel effuſio ab exhalantibus augebitur, vel tenera extrema ipſarum arteriarum rumpentur: Ideoque nil obſtat, cur non haemorrhagia cerebri, ſeu apoplexia, de qua Hoffmanus diſſerit, tam ob arte-

rioſa plethora, quam venoſa, exoriatur. Cullenus tamen poſteriorem eſſe hujus mali cauſam exiſtimat *.

Caeterum ex ſupra poſitis colligere licet, venoſam plethoram haud eſſe praecipuam excitantem cauſam apoplexiae, ſed contra arterioſam; quippe quae ſaepius ſubito fit ex ſanguinis, ad caput delati, curſu quacunque cauſa adaucto.

Si vero probari poteſt, id quod mox tentabitur, generalem cerebri plethoram ne fieri quidem poſſe, aliud argumentum ponetur, unde apparebit, quo plus ſanguinis in venis ineſt, eo minus in arteriis eſſe; atque ideo actionem illarum in has, ex renixu nempe orientem, (quo quidem modo effuſio ac haemorrhagia explicantur) rata pro parte imminui; nec non arterias ipſas, haud ſcilicet admodum diſtentas, eam tutius ſuſtinere poſſe.

 Nunc

* F. L. vol. 2. p. 330.

Nunc vero quaerere convenit, anne generalis cerebri plethora re quidem vera fiat; ſeu potius, anne quantitas humorum, qui intra caput circumaguntur, unquam adaugeatur imminuaturve: Namque in animo eſt, non ſolum oſtendere plethoram generalem neutiquam exiſtere poſſe, ſed quoque numerum humorum, qui in calvaria verſantur, non poſſe imminui; aut certe eundem nunquam adeo hoc illove modo variari, ut ratiocinatio hujuſmodi magna ex parte labefactetur *.

I. Inter omnes anatomicos ſatis conſtat, cavum calvariae ab encephalo omnino occupari.

II.

* Hic autem illud animadverti oportet, quod ponitur, encephalon ſcilicet oſſaque cranii naturaliter ſeſe habere. Porro dignum omnino, quod adnotetur, primum cl. Monro hancce rationem excogitaſſe, quem quidem, tum ſuis in praelectionibus, tum in optimo libro de genere nervoſo dilucidè ex pneumaticis hydroſtaticiſque principiis confirmat.

II. Oſſa cranii moveri, ullive prementi cedere nequeunt, eorumque foramina prorſus omnino ab arteriis, venis, aut nervis tranſeuntibus implentur; ideoque preſſus aëris circumfuſi undique a cerebro arcetur.

III. Experimento cognitum eſt, cerebrum haud poſſe comprimi, vel certè nullam vim quae ab ipſo corpore humano adhibeatur, ad tale quid efficiendum valere *.

IV. Aër denique circumfuſus et ſimul vicinae partes adeo arterias caput ingredientes, venaſque indidem exeuntes premunt, ut tantum humoris,

* Hocce experimentum a Monro factum fuit. Ille enim collocavit cerebrum in vaſe aqua impleto, cujus aquae ſuperficiem preſſui aëris fere ad modi ſui priſtini dimidium denſati, id eſt, preſſui aëris circumfuſi fere duplicato, objecit; denique tamen aqua nihil deſcenderat, quam quidem deſcendiſſe erat neceſſe, ſi cerebrum preſſui ceſſiſſet.

moris, circumacti ſcilicet pulſu cordis, necnon vi contrahendi aut propellendi quae ineſt ipſis vaſis, ſuſtentetur, quod eadem ſatis plene diſtendere ſufficiat. Illud autem praeter aëris circumfuſi preſſum accedere debet, quod multis ex vaſorum flexibus magna pars eorum, quae continentur, gravitate ipſa detineri poſſit.

Nunc vero ex ſupra comprehenſis illa colligere licet:

I. Primo, nimietatem humoris in cerebri vaſa non adigi poſſe, niſi, id quod, ut jam dictum eſt, fieri nequit, calvariae oſſa cedant, ipſumve cerebrum comprimatur; ideoque plethoram hujus partis nequire exiſtere:

II. Secundo, numerum humorum, qui intra caput circumaguntur, haud poſſe imminui vel numero caeterorum imminuto; quippe quod tantummodo accidere poteſt aut ex preſſu aëris

circumfuſi

circumfuſi ſuperficiei cerebri illato, aut ex vaſis hujus continentibus copiam humorum ea majorem, quam preſſus aëris, partiumque vicinarum, ſuſtentare queant :

III. Tertio, congeſtionem humoris in quibuſdam capitis vaſis comitari neceſſario pari aliorum exinanitione ; namque ſi cerebrum aliqua in parte deprimatur, aliae partes aequè attolluntur, ideoque harum vaſa aut comprimi, aut exinaniri neceſſe eſt :

IV. Poſtremo, numerum ſanguinis in capite ſemper fere in ſecunda aut adverſa valetudine, per vitam aut poſt mortem, eſſe eundem ; niſi ſi quando aqua aliquidve materiae fuerit effuſum ſecretumve ex vaſis ſanguinem vehentibus ; nam, ſi tale quid acciderit, profecto tantum ſanguinis ex calvaria exprimetur *.

Enimvero

* Nerv. Syſt. C. 1. p. 5.

Enimvero ratiocinatio hujuſmodi non ſolum ex principiis, quae nullam controverſiam recipiant, ordinari videtur, ſed etiam confirmari ab iis quae deprehenduntur in cadaveribus illorum, qui hydrocephalo perierunt; ſiquidem plerumque omnia vaſa ſanguinem vehentia ſunt flaccida, et, ſi permultum aquae fuerit congeſtum, cerebrum ipſum adeo abſorbetur, ut interdum vix ulla pars ejuſdem cerni poſſit.

Naturae vero conſilium, ut congeſtio ſanguinis in capite arceatur, ex modo patet quo arteriae venaeque diſponuntur; namque hic, id quod aliis in partibus contra fit, haud ſimul procedunt, ſed tranſeunt per diverſa calvariae foramina, unde arteriae ex ſuo pulſu nihil venas comprimunt, atque ideo quantum ſanguinis illae ad caput vehunt, tantundem hae indidem revehunt *.

Caeterum,

* Nerv. Syſt.

Caeterum, quando haec, modò memorata, nunquam ritè fuerunt animadverſa, manifeſtum eſt, haud multum fidei deberi narrationibus de inciſis corporibus eorum quos apoplexia ſuſtulit. Namque illud admodum credibile eſt, quod, cadaveribus nempe curioſiùs inſpectis, nonnulla duntaxat, haud pleraque vaſa cerebri ſanguinem vehentia, ſaepenumero certè, ſi non ſemper, turgida deprehenſa fuiſſent. Fac vero pleraque horum vaſorum nunquam non, ut multo pluribus placet, diſtendi; hinc tamen neutiquam cogere licebit, cerebrum poſſe continere majorem humorum copiam hoc, quam alio tempore: Etenim, ſi unquam tale quid acciderit, tum profecto vaſa ſeroſa pro rata portione exinaniantur neceſſe erit. Quod quidem Van Swieten ſignificaſſe viſus eſt, ubi dicit: "Cranium ſemper "pleniſſimum eſt, ſanguis ruber tantum in pia "matre obſervatur, et in arteriis rubris majo-"ribus per medullarem encephali ſubſtantiam "diſperſis, et medullam oblongatam ambienti-

"bus;

" bus ; in corpore cerebri naturaliter nunquam " ſanguis ruber invenitur : Hinc diſtentis vaſis " rubrum ſanguinem vehentibus, cum dura " cranii oſſa cedere nequeant, comprimuntur " reliqua vaſa corticis et medullae, &c *." Et in alio loco,—" dum ergo omnia vaſa ſangui- " nea in plethoricis nimio ſanguine diſtenta " turgent, dilatabuntur et haec (piae matris) " vaſa : Verum cranii cavum exactiſſimè reple- " tur contento encephalo, et oſſa cranii in adul- " tis cedere nequeunt ; adeoque repletis plus " ſolito vaſis ſanguineis, reliqua vaſa, tenuio- " res humores ferentia, debebunt anguſtari et " comprimi †."

Zulianus denique caſum memorat, ubi vaſa capitis ſanguinem ferentia inveniebantur multum diſtenta : " Contra vero," ait ille, " cerebri " ventriculi neque, ut ſolent, humeſcebant, ſed

" arentes

* Comment. § 112. p. 164.

† Comment. § 1010. p. 258.

" arentes omnino inveniebantur, neque potuit " in toto cerebro quidquam aquae reperiri."

Caeterum ex illis caſibus, ubi non ſolum pleraque vaſa ſanguinem vehentia turgida, ſed lympha quoque effuſa intra ventriculos, et in cerebri ſuperficiem deprehenſa ſunt, colligere neceſſe eſt, quo nempe talis humorum congeſtio praeter naturam credibilior fiat, partem ſcilicet cerebri ipſius, id quod nonnunquam in hydrocephalo accidit, abſorptam fuiſſe.

CAP. IV.

De prognoſi ac ratione medendi.

Enimvero apoplexia ſanguinea, propter ſingularem ſcilicet conformationem, atque eximias actiones partis ipſius quam occupat, nunquam non periculoſiſſima haberi debet.

Interdum vero hoc malum medicamentis ex toto vincitur; aſt ſaepius mortem aut hemiplegiam infert. Quinetiam, ſi quando victum fuerit, plerumque repetit, atque ſemper fere ſerius ocius modo dicto arceſſit *.

Saepe intra paucas horas praecipitat; interdum diutius, aſt nunquam ultra duos treſve dies trahit.

Satis conſtat, nihil in futurum praeſagiri poſſe, niſi ſigna, aetas, habitus corporis, praediſponentia atque excitantia quam diligentiſſime perpenſa fuerint. Saepe autem propria natura iſtius vis quae cerebrum premat, ad quam omne conſilium curantis dirigi debet, vix aut ne vix quidem comprehendi poteſt.

Si paululum duntaxat ſanguinis congeritur in quibuſdam capitis vaſis ſine horum diruptione,

* Cullen's F. L.

ne, aut effuſione ab exhalantibus adaucta, periculi minus eſt. Si vero vaſa ipſa dirumpantur, aut effuſio ab exhalantibus magna fit, ut cauſa preſſus tolli nequit, ita nihil ſpei ſupereſt.

Enimvero hoc malum, ſi quando provideri poteſt, arcere facilius eſt, quam iſtud praeſens diſcutere.

Praecavendi autem cauſa, omnia certè ſupra comprehenſa quae ſaepius ſoleant excitare morbum, cane pejus et angui vitanda ſunt; necnon et iſti, quod proclivitatem augeat, ex nimia ſcilicet plethora plerumque orienti, maturè occurrendum eſt.

Quae quidem hocce poſterius conſilium impleant (adeo ſunt nota) referre ea nihil neceſſe eſt. Enimvero regimen praecipue omnium hanc ad rem pertinet; atque illud ipſum ad hominis

aetatem,

aetatem, habitum corporis, genuſque vitae priſtinum, quam curioſiſſimè accommodari debet.

At quandò inſtantis mali ſigna ſunt, tum validiſſimis auxiliis utendum eſt, detractione nimirum ſanguinis alvique dejectione; quippe quae plenitudinem generalem citius imminuant, atque ita, vi motus ſanguinis caput verſus fracta, venienti occurrant morbo.

Imo etiam, morbo jam urgente, eadem ipſa in primis adhiberi convenit.

Cum vero detractio ſanguinis, inciſa vena, maxime aut fortaſſe tantummodo juvat plethoram minuendo, nihil eſt, quamobrem jugularis vena citius quam alia quaevis ferienda ſit: Quin potius curatio illa eſt periculoſa. Namque inter eam profecto jugularis aliaeque colli venae ita premuntur, ut cerebrum ipſum, libero nempe

ſanguinis

ſanguinis reditu a capite imminuto, preſſum majorem patiatur.

Nihil omnino neceſſe eſt dicere, quippe quod in promptu ſit omnibus, aegrum inter acceſſionem prohibendum eſſe omni poſitu, quo curſus ſanguinis ad caput verſus adigatur, necnon cuncta quae circuitum ejus per totum corpus accelerent, ut calor, &c. omnimodo eſſe fugienda.

Deinde, quanquam vomitoria in alia apoplexiae ſpecie proſunt, attamen certe in ſanguinea non item. Ea planè non multum, aut nihil omnino plethoram imminuunt, quae quidem ut imminuatur nunc in primis omnium votum eſt; necnon et ex modo agendi neceſſario majorem ſanguinis numerum ad caput adigunt, unde periculum multo gravius efficiatur. Caeterum ſuper hac re verbis Burſerii uti juvat.—
" Nemo ſanae mentis negabit, periculoſum
" maxime eſſe emeticum propinare, vomitum
" ciere

" ciere in ea apoplexia, quam vaſa cerebri aut
" praeter modum ſanguine diſtenta, aut rupta,
" aut corroſa effecerint. Quis enim non vide-
" at, vomitu ſanguinem uberius, validiuſque
" ad caput propelli, ejuſque inde refluxum im-
" pediri; ſic ut vaſa ipſa magis, magiſque tur-
" geſcant, ruptionemque, ſi forte adhuc illaeſa
" eſſent, facilius, citiuſque ſubeant; ſi vero jam
" dilacerata ſint, ampliore facto vulnere copio-
" ſiorem ſanguinem effundant? Inter vomendi
" porro conatus diaphragma, cor, pulmo jam
" fere paralyticis proxima opprimantur, atque
" aeger reſpiratione ſublata extemplo ſuffoce-
" ter, neceſſe plane eſt. Non ſemel meis ipſe
" oculis vidi datum ab aliis emeticum, et vehe-
" menter dolui, hemiplegiam, vel levem et par-
" ticularem apoplexiam illico in validam et uni-
" verſalem tranſiſſe; fortem vero, atque exqui-
" ſitam intra paucas horas in mortem. Scio
" equidem a medicinae activioris laudatoribus,
" qui in hac praeſertim regione frequentiſſimi

" ſunt,

" ſunt, jactari obſervationes, ex quibus utilitas
" dati emetici in apoplecticis oſtendatur. Sed
" a paucis feli ioribus exemplis quae naturae
" ro uſtioris beneficio plus, quam artis operi
" tribuenda fortaſſe fuerunt, inferri haud poteſt,
" quod aliunde ſemel, iterumque conſtitit, per-
" niciosa non eſſe *."

Denique, ſtimulantia, quae affectis qualibet apoplexiae ſpecie olim imperari ſolebant, nunc ab eodem auctore, necnon et ab Culleno in ſanguinea inutilia vel noxia eſſe exiſtimantur.

" In ſanguinea apoplexia," dicit Burſerius,
" vix locum inveniunt ea, quae humores exa-
" gitant, aut nimium motum cient; hinc errhi-
" na etiam, ſternutamenta, et volatilia acria, ita
" ſuſpecta habentur, ut, niſi inito omnium pru-
" denti examine, atque ſumma adhibita cura-
" tione, in uſum vocari non debeant †."

Poſtremo,

* Inſtit. Med Pract. vol. 3. p. 106.

† Ib. vol. 3. p. 110.

Poſtremo, fonticuli pleniore nimirum corpore extenuando nonnihil juvare poſſunt; veſicatoria autem capiti admota, quandocunque aliquid intra cranium fuerit effuſum, auxilia praeſentiſſima eſſe videantur.

FINIS.

CORRIGENDUM.

Pag. 18. l. 4. *pro*, et ex ea aegrae partis congeſtione, *lege*, et ſanguinem in aegra parte congeſtum facit.